

conceptionis in Christo humanam naturam absorptam, sed demum post ipsius resurrectionem, & corporis glorificationem. Idem tradit Boethius.

4 Diuinam naturam passibilem constituit, quæ in Christo crucifixa & mortua fuerit. 5 Deum

factitium & nouum inducit, & Christum deificatum potius quàm Deum agnoscit. Hæc sententia

quantæ blasphemix plena sit, vel ex eo satis ostenditur, quòd si huiusmodi est Christus, qualem Euty-

tychiani fingunt, nec pro nobis passus est, quia similem nobis naturam non habuit: nec resurre-

xit, quia quum Deus solùm fuerit, mori nõ potuit. Itaque nec redemptor noster, nec Iesus est, & om-

nis historia Euāgelica falsissima est: spēsque Christianorum, quæ Christo Dei verbo innititur, vanis-

sima. Atque hoc errore nihil immanius, nihil tetrius, nihil fœdus ne cogitari quidem potest, & in

eo omnium errorum cumulus est. Itaque fuit hæc palmaris Satanæ aduersus fidem victoria, & totius

fundamenti Christianæ doctrinæ subuersio, propter quam liberè postea triumphauit Satan. Quæ-

dam etiam perperam de resurrectione eum docuisse tradunt.

HAERESSES A NOBIS ADDITAE.

CAP. XCIII.

Quæ fuerunt Eutythianæ hæreseos infelices propages & fruticationes.



Vandiu synodi Chalcedonensis valuit in Ecclesia, imprimis autem Orientali, authoritas, fuit aliqua Ecclesiarum tranquillitas & quies, etsi Eutythiano-

hh. i.